

CONTRITIO.

1. Alia est compunctio sive contritio, quæ per amorem nascitur, alia quæ per timorem, quia aliud est supplicia fugere, aliud præmia desiderare. *Greg. lib. 5. moral.*

2. Sæpe quod torpentes latuit, flentibus innotescit, et afflicta mens certius invenit malum, quod fecerat, et reatum suum, cujus secuta non meminit, hunc in se commota deprehendit. *Greg. ibid.*

3. Qui nescit lugere, quod gravat, non valet proferre, quod subleval. Vis compunctionis poros cordis aperit, et pennas virtutum fundit: quumque se studiose mens de pigra vetustate redarguit, alacri novitate juvenescit. *Greg. 21. moral.*

4. * Compunctionis principalia sunt, timor et amor. *Greg. lib. 5. Dialog.*

5. Quo uberius culpa fletur, eo altior cognitio veritatis attingitur: quia ad videndum internum lumen polluta dudum conscientia lachrymis baptizata renovatur. *Greg. lib. 27. moral.*

6. Sola compunctio est, quæ facit animam horrescere purpuram, desiderare cilicium, amare lachrymas, fugere risum. *Chrys. in lib. de compunctione cor.*

7. Contritio est humilitas cordis, vera compunctio, magna agere, et humilia loqui, juste operari, et super peccatis timere, ac tremere. *Ibidem.*

8. * Compunctionem vel contritionem peccatorum qui non habet, non habet mundam orationem. *Bern. ad Soliloq.*

9. Gemitus dictus geminatus luctus, quem merito fideles appetunt, quoniam diligentes consolatur, pœnitentes emundat, diabolum effugat, Christo conciliat: amaritudo dulcis, lachrymæ sælices, salutaris afflictio. *Cass. super Psal. 6. Laboravi in gemitu, etc.*

10. Dominus nescit differre, quem compuncto corde sibi senserit supplicare. *Cass. super illud Psal. Ad Dom. cum tribularer etc.*

11. Contritio est gemebundi cordis commotio sæcularis, seipsum lachrymarum eruptione testificans. *Hugo. lib. 5.*

12. Contritio est compunctio animi cum lachrymis, oriens ex recordatione peccati, et timore iudicii. *Ibidem.*

13. Argumentum est in melius translato animi, quod vitia sua, quæ adhuc ignorabat, videt. Quibusdam ægris gratulatio est, quum ipsi ægros se esse sentire. *Senec. epist. 2.*

14. Magna pars bonitatis est, velle fieri bonum. *Senec. 55. epist.*

15. Sciat se culpabiliter durum et dure culpabilem, qui corporalem amici sui mortem deplorat, et spiritualem animæ suæ mortem non deslet. *Innocent. de vilitate conditionis humanæ.*

16. * Contritio est unguentum sua fragantia totam domum ecclesiæ replens. *Bern. in cant. serm.*

Vide etiam in tit. Delitiæ, núm. 6. in tit. Devotio, núm. 11. in tit. Lachrymæ, núm. 3, 4, 6, 12, 18. in tit. Peccatum, núm. 8. in tit. Pœnitentia, núm. 13, 17, 27.

CONVERSATIO.

1. In diversis observationibus nulla disciplina melior gravi et prudenti Christiano, nisi ut eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam, ad quam fortè devenerit ad discendum, quod opus est. *Aug. de doct. Christ.*

2. Quisquis rebus prætereuntibus strictius utitur, quam sese habent mores eorum, cum quibus vivit, aut inlempens, aut supersticiosus est. Quisquis verò sic eis utitur, ut metas consuetudinis bonorum, inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido in culpa est. *Aug. lib. 3. de doct. Christ. Et ponitur 41. distinct.*

3. * Conversationis alienæ sumus curiosi exploratores, aut iudices temerarii. *Bern. in Cant. serm. 45.*

4. * Conversari sic debet Christi minister, ut ex moribus exterioribus compositiones interiores existimentur. *Idem de trip. jud.*

5. * In initio conversationis nulla virtus magis necessaria, quàm simplicitas humilis et gravitas veracunda. *Idem in Epiph. Dom. serm. 4.*

6. Magis mores commendant statum, quàm status mores: etenim quo status inferior, eo virtus eminentior. *Ambr. in quad. epist.*

7. Semper in comitatu tuo graves fœminas habeas: mores enim et studia dominarum plerumque ex ancillarum et comitantium moribus judicantur: qualis enim quæque sit, talium consortio delectatur. *Hier. in epist. ad Demetr.*

8. Falsus rumor citò opprimitur, et vita posterior judicial de priori. Rarò invenies qui ita irreprehensibilem vitam suam exhibere velint, ut non reprehendant alienam. *Hier. in quadam epist.*

9. Pro signo sunt interioris hominis verba erumpentia: quomodo libidinosum, qui sua celat verba et vitia callide, interdum turpis sermo demonstrat: minoribus enim majora monstrantur. Vultuque et oculis dissimulari non potest conscientia, dum luxuriosa et lasciva mens lucet in facie, et secreta cordis motus corporis et gestibus indicat. *Hier. super 12. Prophetas, lib. 2. super illud, Ezech. Filii hominis, etc.*

10. Non valde laudabile est, bonum esse cum bonis sed bonum esse cum malis. Sicut enim gravioris culpæ est inter bonos bonum non esse, ita immensi est præconii, bonum etiam inter malos extitisse. *Greg. moral. super illud. Vir erat in terra, etc.*

11. * Res eximii prelii est inter malos laudabiliter conversari. *Greg. 1. moral.*

12. Sit in gestu tuo gravitas, in motu simplicitas, in incessu honestas, nihil dedecoris, nihil lasciviæ, nihil petulantia, nihil insolentia, nihil levitatis in tuo incessu appareat, animus enim in corporis gestu apparet, et species corporis, simulachrum est mentis, figuraque probitatis. *Isid. 2. lib. Soliloq.*

13. Sancta conversatio confundit inimicum, ædificat proximum, glorificat Deum. *Ibidem.*

14. Philosophus sic inter hostes vivendum censuit, tanquam inter amicos: et inter amicos, ac si in mediis hostibus viveretur. *Chrysost. lib. 3. de vestigiis philosoph.*

15. Cor hominum de operum ostenditur qualitate, et formas mentium species detegit actionum. *Leo papa in quodam serm.*

16. Quod potest redimi, non timetur: esse jam inter nocentes innoxium, crimen est: malos quisquis non imitatur, offendit consensere jura peccatis, et cœpit licitum esse quod publicum est. *Cypr. epist. 2.*

17. Disciplina est conversatio bona et honesta, cui parum est, non malum facere, sed stude etiam in his quæ bene agis, irreprehensibilis apparere. *Hugo in lib. de disciplina monach.*

18. Disciplina honestæ conversationis ex quatuor perpendi potest: ex gestu, molu, affatu et convictu. Gestus autem reprehensibilis est, si est aut mollis, aut dissolutus, aut tardus, aut citatus. Mollis, significat lasciviam, dissolutus negligentiam, tardus pigritiam, citatus sive impetuus inconstantiam. *Hugo. ididem.*

19. Gestus hominis in omni actu debet esse graciosus, sine mollitie: quietus sine dissolutione: gravis sine tarditate: alacer, sine inquietudine: maturus sine protervia, et sine turbulentia severus. *Hug. de disciplina monachorum.*

20. Temperanda est etiam facies et modificanda in gestu suo, ita ut nec protervè exasperetur, nec molliter dissolvatur, sed semper habeat rigidam dulcedinem, et dulcem rigorem, secundum illud Ecclesiastici xix. *Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis et risus dentium, et incessus hominis, enunciant e illo, scilicet qualis sit: quia per illud, quod foris sive bene sive male agitur, interior animi qualitas intuentium oculis patenter indicatur. Ibidem.*

21. In motu corporis cavendum est, ne in tardationibus adeo molli gressu ulamur, ut pomparum ferculis similes esse videamur, aut in festinationibus non suscipiamus nimias celeritates: quæ quum fuerint, anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur, quæ signa sunt inconstantis animi. *Ibid.* et ponitur in lib. *problematum*.

22. Quod enim inordinati motus corporis dissolutionem indicent mentis, probatur testimonio Salomonis, qui dicit. *Homo apostata, vir inutilis graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur dolum, et in omni tempore jurgia seminat*, quia quum mens interius à custodia sua solvitur, membra foris ad omnem actum inordinatè commoventur, et velut corpus paralytici motum quidem habet: sed officia membrorum in suis actionibus servare non valet. *Hug. de disciplina monach.*

23. In affectu sine locutione disciplina honestæ conversationis attenditur: in qua quinque res sunt observandæ: hoc est quid, cui, quomodo, quando, et ubi dicatur. Quid, ut nunquam in sermonibus ociosa adhibeantur. Ociosa autem sunt, quæ sunt aut nociva, aut inhonesta, aut inutilia. Inutilia autem sunt, quæ nec loquentibus nec audientibus prosunt. Inhonestæ sunt, quæ vel illius, qui loquitur, vel cui loquitur, vel de quo loquitur, dignitati non conveniunt. Nociva autem sunt, quæ suis suasionibus animos auditorum ad errorem sive pravitatem inducunt. *Ibid.*

24. Cui, primo consideret an propter se, vel propter illum loquatur. Si propter se, videat, ut ille talis sit, de cujus colloquio utilitas ei provenire possit. Si propter illum loquitur, caveat ne talis sit ille, qui vel sua exhortatione non indigeat, vel ita etiam in malo sit obstinatus, ut exhortatione alterius corrigi se non permittat. Si ergo sic est, nunquam nisi ad nostram vel aliorum eruditionem loqui debemus. *Ibidem.*

25. Quomodo, exhortemur ad constantiam timidos, ad timorem superbos, ad fragalitatem prodigos, ad

liberalitatem avaros, ad humanitatem parcos, ad parcitatem gulosos, ad consilium temerarios, ad silentium verbosos, ad verbum exhortationis tacitos, ad mansuetudinem impatientes, ad indulgentiam crudelēs, ad verecundiam procaces, ad quietem præcipientes, ad prudentiam incautos, et omnino quicquid dicere volumus, ex ipsa prius nostri sermonis qualitate colligamus. *Ibidem.*

26. Ubi, quædam enim sunt loca in quibus silentium est servandum: quædam in quibus intelligentia et ex ratione scripturarum collationes, cum disciplina tamen et reverentia, hoc est, sine contentione et clamore verborum haberi possunt: quædam in quibus pro instructione morum verba habenda sunt, quædam in quibus magis loquendi licentia laxatur: ita ut non solum de spiritualibus, sed etiam de exteriorum dispositione et provisione sermones admittantur. Loca autem in quibus vana et superflua dici debeant, invenire non possum. *Ibidem.*

27. Quando, est enim tempus quando nihil: est tempus, quando aliquid est dicendum: nullum verò tempus est, quando dicenda sunt omnia: tempus enim tacendi debet præcedere tempus loquendi, propterea enim non ait Salomon *tempus loquendi et tempus tacendi* sed *tempus tacendi et tempus loquendi*: quia prius per silentium tempus tacendi discitur, quod postea per verbum tempore loquendi proferunt. Sapiens enim æque cavet, vel ne tempore quando loqui debet, per negligentiam sileat: vel ne in omni tempore, quando loqui licet, per licentiam concessam in multiloquium cadat. Rectè ergo tempus loquendi discernitur: sic homo non semper quando loqui debet, sileat, nec semper quando licet, loquatur. *Ibidem.*

28. Modus autem loquendi in tribus consistit, scilicet quo gestu, quo sono et significatione aliquid dicatur. Disciplina enim jubet, ut loquentis sit gestus modestus, et humilis, sonus demissus et suavis, significatio verax et dulcis. *Ibidem.*

29. In convivio sive comestione disciplina honestæ conversationis attenditur, scilicet in seipso, et in suo cibo: in seipso tripliciter, scilicet in disciplina tacendi, videndi, sese continendi, ut scilicet linguam suam à loquacitate restringat, oculos suos à circumspeditione cohibeat, et ut cætera membra omnia cum modestia et quiete contineat. *Ibidem.*

30. Non sicut quidam faciunt, qui quum ad edendum assederint, inquieta quadam agitatione membrorum intemperantiam animi sui designant, caput excutiant, brachia exerunt, manus in altum expandunt, et non sine magna turpitudine quasi totum epulum sint absorpturi, ingentes quosdam conatus et gestus satis indecoros ostendunt, in uno loco sedentes, oculis et manibus quæ propè et longè sunt omnia circumcurrunt, simul panes comminuunt, vinum in calices effundunt, discos in gyrum circumducunt, et velut rex super obsessam civitatem assaultum facturus, dubitant, unde primum expugnationem aggrediantur, dum simul in omni tempore irruptionem facere concupiscitur. *Ibidem.*

31. Disciplinam honestæ conversationis in suo cibo debet quis observare, videlicet, quid, quantum, quomodo cibum sumere debeat. *Quid* ut scilicet non nimis pretiosa et delicata expelat: nec nimis rara et insolita requirat: nec nimis accurate et laute præparata concupiscat. In primo luxus arguitur: in secundo curiositas ostenditur: in tertio superseditio notatur. *Ibidem.*

32. *Quantum*, cujus mensura hæc mihi esse videtur, ut neque contra honestatem, neque supra necessitatem sumatur. Non omnis venter idem sapat, alius plus, alius minus: ergo ille cui parum sufficit, magis superfluitatem caveat. Ille vero cui multum opus est, magis ad honestatem attendat: quia neque ille, nisi temperantiæ metas transierit, ad turpitudinem veniet: neque iste, nisi prius honestatis oblitus fuerit, in superfluitatem impinget. *Aug. ibid.*

33. *Quomodo*, hoc est quam munde, et quam

temperatè. Quidam enim bibentes digitos medio tenus poculis immergunt: alii unctas manus ad vestimenta sua dant, rursus ad cibaria traclanda redeunt. Alii nudis articulis vice cochlearis olera sua piscantur, ita ut in eodem jure manus ablutioem, et venter refectionem quærere videatur. Alii reliquias dentium suorum offas facturi in poculis demergunt. *Ibid.*

34. Hæc dicentibus erubescenda essent, si à facientibus præsumpta non fuissent: sed nescit aliquando impudentia erubescere, nisi fuerit manifestè confusa. Nunc autem sustineat in audiendo verecundiam, qui noluit in faciendo habere disciplinam. *Hæc Hu. de san. Vic. de discip. monach.*

35. Omnia omnium rerum si bene observentur indicia sunt, et argumentum morum ex minimis poteris cognoscere impudicum: et incessus ostendit, et manus mota, et interdum responsum, et relatus ad caput digitus, et flexus oculorum. Improbum et insanum risus, vultus habitusque demonstrat. *Sen. 58. epist.*

36. Quemadmodum sapienti viro incessus modestior convenit: ita oratio pressa non audax: summa ergo summarum hæc erit: tardiloquum te esse jubeo. *Senec. ibid.*

37. Barbarismus est morum, sermo jucundus, et animus dolosus: domi quidam se contrahunt, foris dilatant et extendunt. Vitium est hæc diversitas, et signum vacillantis animi et nondum habentis tenorem suum. *Senec. in epist.*

38. Non magis utilitati est ager cum redditibus amplis, quam vicinus æqualis cum moribus bonis. Sit tibi erga singulos falsi libra sermonis, ut te blandum pueri, comitem juvenes, graves senes meliantur. *Ibid.*

39. Nulla res magis animos induit honestos, et in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quam bonorum virorum conversatio: paulatim enim descendit in pectora, et vim præceptorum obliet frequenter aspici, frequenter audiri. *Senec. epist. 9.*

40. Id agamus, ut meliorem vitam sequamur, quam vulgus, non ut contrariam: alioquin, quos emendare

volumus, fugamus à nobis, et avertimus. *Sen. 5. epist.*

41. Si quid in aliquibus ex sordida conversatione servile est, honestorum convictus excutiet. *Seneca. 35. epist.*

42. Tunc felicem te esse judica, quum poteris in publico vivere, quum te parietes tui tegent, non abscondent, quos plerumque nobis circumdatos judicamus, non ut tuius vivamus, sed ut peccemus occultius. Rem dicam ex qua mores nostros æstimes: Vix quemquam invenies, qui possit aperto ostio vivere. Janitores conscientia opposuit, non superbia. Sic vivimus ut deprehendi, sit subito aspici se. *Sen. 42. epistola.*

43. Ita vive, ut nihil tibi committas, nisi quod committere etiam inimico tuo possis. *Sen. 2. epist.*

44. Sic certe vivendum est tanquam in conspectu vivamus, sic cogitandum tanquam aliquis in pectus intuitum trahere possit. Quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum, quum nihil Deo clausum est? *Senec. 85. epist.*

45. Salutare est, non conversari dissimilibus et diversa cupientibus. Turba etsi non mutat te, impedit tamen, multum aulem nocet etiam qui moritur. In vitia alter alterum trudemus, quomodo aulem revocari possunt ad salutem, quos nemo retinet, populus impellit? *Senec. 82. epist.*

46. Hic modus mihi placet, temperatur vita inter bonos mores et publicos, suscipiant omnes vitam nostram, sed agnoscant. Quid ergo eadem faciamus quæ cæteri, nil inter nos et illos intererit? Plurimum dissimiles nos vulgo sciat, qui inspexerit propius, non conturbavit sapiens publicos mores, nec populum in se novitate vitæ convertet. *Senec. 15. epist.*

47. Sic cum inferiore vivas, quemadmodum superiorem tecum vivere velis. *Senec. 97. epist.*

48. Omnes tibi pares facies, inferiores superbien- do non contemnas, superiores rectè vivendo non timeas. In reddenda officiositate neque exactor, neque negligens appareas, cunctis estò benignus, nemini

blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. Severior estò iudicio, quam sermone, et vita, quam vultu, clementiæ cultor, clemens ultor, sævitiæ detestator, famæ bonæ neque tuæ seminator, neque alienæ invidus, rumoribus, criminibus, suspicionibus minime credulus: sed malignis potius, qui per speciem simplicitatis aliquibus surrepserint, oppositissimus, ad iram tardus, ad misericordiam pronus, in adversis firmus, in prosperis cautus, occultator virtutum, sicut alii vitiatorum, vanæ gloriæ contemptor, et bonorum, quibus præditus es non acerbus exactor, nullius imprudentiam despicias, rari sermonis ipse, loquentium patiens, severus severis, sed hilares non aspernans. *Sen. de quatuor virtutibus.*

49. Si tempus jocos exigit, hos quoque cum dignitate sapientiæ gere, ut te nec gravet quisquam tanquam asperum, nec contemnat tanquam vilem: non erit tibi scurrilis, sed grata urbanitas. Sales tui sine dente sint, joci sine vilitate, risus sine cachinnatione, vox sine clamore, incessus sine tumultu, quies tibi non desidia erit: et quum ab aliis luditur, tu sancti honestique aliquid tractabis. *Sen. ibid.*

50. Cum quidam stolidus audiente Pythagora diceret, malle cum mulieribus esse quam cum philosophis conversari: et sues, inquit, in cæno libentius quam in pura aqua versantur. *Val. Max. lib. 7. de memor. dictis.*

Vide etiam in tit. Conscientia, núm. 20, 27. in tit. Consuetudo, núm. 31. in tit. Contemplatio, núm. 33. in tit. Disciplina et Doctrina, núm. 29. in tit. Excusatio, núm. 15. in tit. Exemplum, núm. 34. in tit. Innocentia, núm. 7. in tit. Ordo, núm. 4. in tit. Sanctitas, núm. 18. in tit. Societas et Solitudo, núm. 6. 23, 24.

CONVERSIO.

1. Ut sit homo aliquid, convertat se ad illum, à quo creatus est: recedendo enim frigescit, accedendo fervescit, recedendo tenebrescit, accedendo cla-

rescit: à quo enim habet, ut sit apud illum, habet ut bene sit. Ergò qui vult simul esse cum Deo, non ab illo recedat, sed ad illum accedat. *Aug. super Psalm. 70.*

2. * Conversio nostra semper inveniet Deum paratum. *Aug. in Psalm. 6.*

3. * Conversio ad bonum non homini, sed Deo adscribenda. *Aug. epist. 150.*

4. Cum inhæsero tibi ex omni me, nusquam erit dolor et labor, et viva erit vita mea tota plena te: nunc autem quem tu impleas, sublevas eum, et quia tui plenus non sum, ideo mihi oneri sum. *Aug. 10. lib. confess.*

5. Scio quia malè mihi est præter te, non solum extra me, sed in meipso, et omnis copia, quæ Deus meus non est, egestas mihi est. *Aug. 14. lib. conf.*

6. Conferamus nos ad te, et benè nobis erit de te. Malum est nobis de nobis, quia dimissimus te dimissisti nos nobis. *Aug. de verb. Dom. serm. 4.*

7. Ovis perdita nunquam reverteretur, nisi pii pastoris misericordiam consequeretur. *Aug. in serm.*

8. Quæramus lapidem quo percutiatur incredulus, et percussus quassetur, quassatus comminuetur, comminutus in pulverem convertatur, conversus in pulverem compluatur, complutus seratur, satus faciat fructum, non quod igne consumatur, sed quod horreo condatur. *Aug. cont. 5. hæc.*

9. Si aurum tibi offeram, non mihi dicis, cras veniam, sed jam exis: nemo differt, nemo excusat: redemptio animæ promittitur, et nemo festinat. *Ambr. in ser. de eleemos. et jejun.*

10. Nunquam est sera conversio: latro de cruce transit ad paradysum. *Hier. in epist. ad Letan.*

11. Tres modi sunt conversorum, inchoatio, mediæ atque perfectio. In inchoatione autem inveniuntur blandimenta dulcedinis, in medio tempore certamina tentationis, ad extremum verò perfectio plenitudinis. Prius ergò illos dulcia suscipiunt quæ consolentur: postmodum amara quæ exercent, et tunc

demum suavia atque sublimia quæ confirmant. *Greg. 24. moral.*

12. Vitam uniuscujusque conversi et inchoatio blanda permulcet, et aspera mediæ probat, et plena post perfectio roborat. *Greg. ibid.*

13. Cum Pharao dimisisset populum, non eos duxit dominus per viam terræ Philistiim, qua vicina est: reputans ne fortè pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, et reverterentur in Ægyptum. Ex Ægypto itaque exeuntibus è vicino bello subtrahuntur: quia derelinentibus seculum, quædam prius tranquillitas ostenditur, ne in ipsa sua teneritudine atque inchoatione turbati atque territi redeant ad id, quod evaserunt. Prius ergò suavitate sentiunt, securi prius pœcis quiete nutriuntur: post cognitam verò dulcedinem tanto jam tolerabilius tentationum certamina sustinent, quanto altius in Deo cognovere quod amant. *Ibidem.*

14. Plerumque conversus quisque talibus tentationum stimulis agitur, qualibus ante conversionis gratiam, nunquam pulsatum se esse reminiscitur: non quia tunc hæc eadem tentationis radix deerat, sed quia non apparebat. *Ibidem.*

15. Ferrum de terra tollitur, quum fortis pugator ecclesiæ à terrena sua conversatione separatur. Non ergo in eo debet despici quicquid fuit, qui jam cœperit esse quod non fuit. *Greg. 16. moral.*

16. Lapis solutus calore in æs vertitur, quando dura mens superni amoris igne liquefacta, ad veram fortitudinem commutatur, ut peccator, qui prius insensibilis extiterat, postmodum per auctoritatem fortis, et per prædicationem sonorus fiat. *Greg. libr. 16. moral.*

17. A regione nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum velitum gustando, discessimus, sed ad eam necesse est flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrenando redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem nostram regredimur, quoniam qui à paradisi gaudiis per de-

lectionem recessimus, ad hæc per lamenta revocamur. *Greg. ho. 10. super illud Matth. Cum natus esset Jesus in Bethlehem Juda.*

18. Majus de peccatore converso quam de justo stante gaudium fit in cælo: quia et dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reversus hostem fortiter peremit, quam illum, qui nunquam terga præbuit, et nunquam aliquid fortiter fecit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas, uberes fruges profert, quam eam quæ nunquam spinas habuit, et nunquam fertilem messem produxit. *Greg. ho. 54. super Evang.*

19. Prima vigilia est pueritia, secunda adolescentia, tertia senectus. Qui ergo in prima vigilia vigilare noluit, secundam custodiat: ut qui converti à pravitatibus suis in pueritia neglexit, ad vias vitæ saltem tempore juventutis evigilet: et qui ad vias vitæ juventutis tempore non evigilat, saltem in senectute respiscat: nam quos diu, ut convertantur, tolerat non conversos durius damnat. *Greg. tractans illud in Hom. Et si in secunda vigil. seu in tertia.*

20. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Corporis conversio, si sola fuerit, erit nulla. Forma siquidem conversionis est, non veritas vacuum virtutem gerens et speciem pietatis. *Bern. super Cant. serm. 56.*

21. Dico omnes ignorare Deum, qui nolunt converti ad eum. Neque enim ob aliud proculdubio renunt, nisi quia gravem et severum imaginantur, qui pius est: durum et implacabilem, qui misericors est: ferum et terribilem, qui amabilis est, et mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum pro eo, quod non est ipse. *Bern. super Cant.*

22. Solet inter primordia conversionis acrius insurgere tentatio prævæ consuetudinis, et vix possunt extingui jacula ignita diaboli. *Bern. super Cant.*

23. Primordia conversorum blandis refovenda sunt modis, ne si ab asperitate incipiant, exterriti ad priores lapsus recurrant. Qui enim conversum sine leni-

tate erudit, exasperare potius quam corrigere novit. *Isid. lib. 5. de sum. bon. c. 8.*

24. Vitia ante conversionem quasi pacem in homine habent, quando autem expelluntur, acriore virtute consurgunt. *Ibid. c. 9.*

25. Utile est Dei servo post conversionem tentari, quatenus à torpore negligentiae sollicitantibus vitiis ad virtutes animum per exercitium præparet vitiorum. *Ibidem.*

26. Multos remissa conversio in pristinos errores reducit, ac vivendi tempore resolvit. *Isid. lib. 2. de sum. bon. c. 10.*

27. Valet interdum conversis pro animæ salutæ mutatio loci: plerumque enim dum mutatur locus, mutatur mentis affectus. Congruum est enim inde etiam corporaliter evelli, ubi quisque illecebris deservivit. Nam locus, ubi quisque pravè vixit, hic aspectui mentis opponit, quod semper ibi, vel cogitavit vel gessit. *Isid. ibid.*

28. In illa ætate quando flavescunt crines, caro nitescit eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur, valetudo corporis vires subministrat, juvenilis ætas longioris vitæ spatium repromittit: quando viget ratio, vigent etiam corporis sensus, visus acutior, auditus promptior, incessus rector, vultus jucundior, qui in hæc ætate se domant et Deo se sociant, præmium Joannis expectant. *Hug. de claustro anim. lib. 5. c. 10.*

29. Tales offerunt hostiam viventem, Deo placentem, immaculatam, non aure, non oculo, non pede, non cauda carentem. Audiat hoc senum sera conversio, quibus ex defectu senectutis aures obturantur, oculi turbantur, et ut cuncta breviter perstringam, ipsi in se per se deficient. Hi non offerunt agnum immaculatum: sed, ut ita dicam, porcum curtatum. Sicut enim porcus in immunditiis: sic senex jacuit in vitiis: et sicut porcus siliquis pascitur, sic senex fabulis, et rumoribus delectatur. *Ibidem.*

30. Non locorum mutatio, sed conversio sensuum

adversa depellit, mœrores fugal, desperationes abjicit, excludit angustias, et intra domicilium synceri pectoris, lætitiæ divinæ æternam præparat mansionem. *Pet. Rav. serm. 46.*

31. Interim cum Hierosolymitanis habitat Jebusæus: interim in horto patris familias, simul sunt salicunca et abies, urlica et myrtus. In grege Jacob animalia alba, et nigra, agni et hædi, in rete Petri pisces boni et mali. In archa Noe animalia munda et immunda. In agro Domini lilia inter spinas, zizania inter spicas. In area domini granum cum palea. In cella Chrisli vinum cum agresta, oleum cum amurca. Nostrium non est quemquam judicare. Novit enim dominus, qui sunt ejus, quique futuri sunt *primi novissimi, et novissimi primi*. Nos enim præcedere potest ad vitam, quem novissimum reputamus. *Pet. Rav. in quadam epist.*

Vide etiam in tit. Anima, núm. 20. in tit. Beatitudo, núm. 15. in tit. Consuetudo, núm. 17, 24. in tit. Creatio, núm. 2. in tit. Error, núm. 9. in tit. Homo, núm. 8. in tit. Meritum, núm. 10. in tit. Misericordia, núm. 1, 18. in tit. Oratio, núm. 1. in tit. Pœnitentia, núm. 18, 21, 34, 35, 48. in tit. Reconsiliatio, núm. 2. in tit. Religio, núm. 1, 19. in tit. Relinquere, núm. 1, 9. in tit. Recidivatio, núm. 4, 6. in tit. Simplicitas, núm. 7. in tit. Voluntas, núm. 14.

CONVITIUM.

1. Si utilitate proximi moveor in laudibus meis: cur minus moveor, si quisquam ab aliis injuste vituperetur, quàm si ego? cur ea contumelia magis mordeor, quæ in me, quam in alium eadem iniquitate coram me jacitur? *Aug. 10. lib. confes.*

2. Si non aurem solam percutit iracundia criminantis, verum etiam conscientiam mordet veritas criminis: quid mihi prodest, si me continuis laudibus mundus attollat? Ita nec malam conscientiam sanat laudantis præconium, nec convulberat conviciantis opprobrium. *Aug. contra Petil. lib. 3.*

3. Levis quidem sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat, leviter transit, sed graviter urit, leviter animum penetrat, sed non leviter exit: leviter profertur, sed non leviter revocatur. Facile volat, ideo facile charitatem violat. Tenerum membrum lingua, attamen vix teneri potest, substantia quidem infirmum atque exiguum, sed usu magnum et validum invenitur: tenuis est et lala, ideo aptissimum evacuandis sordibus instrumentum. *Bern. in quodam serm.*

4. Convitia quis facile tolerat, cum in secreto mentis ad mala perpetranda recurrit. *Greg. 3. moral.*

5. Nihil sævius, nihil violentius amarum asperisque sermonibus, quorum vulnera tantò difficilius curantur, quantò facilius proferuntur. *Val. epist. in quodam serm.*

6. Invenimus multos aliquoties uno atque eodem sermone verbis dulcibus venena miscere, et fictis pacis blanditiis, lictum pugnas introire. Quid istis infelicibus? quid periculosius esse potest, qui fallacis linguæ studio vitæ insidiantur alienæ? *Ibidem.*

7. Videmus frequenter verborum facta in crimen venire, et nimia facilitate verborum amicitias odia succedere: quando autem potest fieri, ut homo, aut magniloquus, aut maliloquus non habeatur ingratus? *Val. ibid.*

8. Quamvis quis vitam fide muniat, scientia regat, castitate et sobrietate componat: nihil est quod in homine placeat, si in toto corpore lingua displiceat. *Ibidem.*

9. Plena victoria est à clamazione tacere, et non respondere provocanti. Habes enim mercedem, et de tua patientia, et de fratris medela, si oblivioni detur injuria. Sicut nihil est deformius quam respondere furiosis: ita nihil utilius quam tacere provocatis. Nullus est finis inimicitias, nisi ad tempus obtemperemus iratis. *Val. ibid.*

10. Malis displicere, laudari est: nullam auctoritatem habet, ubi qui damnatus est, damnat. Male de me loquuntur homines, quia bene loqui nesciunt:

faciunt, non quod mereor, sed quod solent. *Sen. 77. epist.*

11. Æquo animo audienda sunt imperitorum convitia, et ad honesta vadenti contemnendus est ipse contemptus. *Ibidem.*

12. Multi cum aliis maledicunt, sibiipsis convitium faciunt. *Senec. de moribus.*

13. Turpia ne dixeris, paulatim enim pudor rerum per verba dediscitur. *Ibidem.*

14. Non potest generosus animus contumeliam pati. *Senec. de sententiis orator.*

15. Antitanes cuidam dicenti sibi, maledixit tibi ille: respondit, non mihi, inquit, sed illi, qui in se, quod ille culpat, agnoscit: sed et si mihi maledicere curet, non curo: quia auditus linguæ debet esse robustior, cum singulis hominibus linguæ sunt singulæ, sed aures binæ: aliquatenus tamen curo, quia eo ipso me fateor esse superiorem: quia superioris personæ usus est hoc pati, inferioris facere; gauderem ilaque nisi urgente humanitate, homini compaterer infelici. *Senec. ibid. et Val. Max. lib. 4.*

16. Titus tacitus maledicente sibi Metello, facile est, inquit, in me dicere, cum non sim responsurus, tu, inquit, didicisti maledicere: ego conscientia teste, didici maledicta contemnere, et sicut tu, inquit, linguæ tuæ, sic ego aurium mearum sum dominus. *Ibidem.*

17. Si merito objurgaverit te aliquis, scito quia profuit: si immerito, scito quia prodesse voluit. *In epist.*

18. Ipse aperte invidet, abjecte fingit, serviliter superbit. Indicit ut dominus, exigit ut tyrannus, calumniatur ut barbarus, tota die à metu armatus, ab avaritia jejunos, à cupiditate terribilis, à vanitate crudelis, in concilio tacet, in ecclesia jocatur, in jejuniis prædicat, in cubili damnat, in quæstione dormitat. Implet quotidie sylvas latronibus, villas hostibus, altaria reis, carceres clericis. *Sid. lib. 2. epist.*

19. Ipse loquax nec dicax, ridiculus nec lætus,

arrogans nec constans, curiosus nec perspicax: temporis præsentia colens, præterita carpens, futura fastidians: beneficii si rogaturus est importunus petendi, derogator negati, æmulator accepti: at si rogatus, dissimulator petiti, venditor prælitii, calumniator morali, inficiator soluti, odiosior jejuniorum, sectator epularum, laudabilem proferens, non de bene vivente, sed de bene pascente, sententiam. *Sid. ibid. lib. 3. epist. 15.*

20. Inter hæc jejunat, quoties non vocatur: si invitetur excusans: si evitetur explorans: si admittatur exultans: si verberetur expectans: avidus bibendi, avidior adulandi, avidissimus detrahendi: rabido ore pariter spirans cœnum, spumans vinum, loquens venenum, facit ambigi an temulentior an facinorosior existimetur. *Sid. lib. 5. epist. 15.*

21. Prodigus in pœna, parcus misericordia, furore repletus, pietate deficiens, verbo falsus, opere imperfectus, vitii deditus. Domino indevolus, crudelitate Herodes. *Sid. ibid.*

22. * Habet quemdam aculeum contumelia, quem pati prudeates ac boni viri difficillime possunt. *Tull. 5. Ac. in Verr.*

Vide etiam in tit. Advocati, núm. 12, 13, 14. in tit. Conscientia, núm. 1, 4. in tit. Detractio, núm. 14, 16, 34. in tit. Fama, núm. 15, 16. in tit. Hospitalitas, núm. 9. in tit. Humilitas, núm. 6. in tit. Injuria, núm. 1, 3, 9. in tit. Ira, núm. 1, 8. in tit. Justitia, Laus, núm. 10, 40. in tit. Loquacitas, núm. 15, 16, 20. in tit. Mirabile, núm. 16. in tit. Patientia, núm. 19, 37, 46, 47. in tit. Prælatio, núm. 13. in tit. Venia, núm. 16. in tit. Verecundia, núm. 23, 24.

COR. SIVE MENS.

1. Væ duplici corde suo, partem faciunt Deo, et partem faciunt diabolo. Iratus Deus, quia sit ibi pars diabolo, discedit, et totum diabolus possidet. *Aug. super Joan.*

2. Beati mundo corde, non exterioribus oculis, sed corde videbitur Deus. *Aug. de verb. domin.*

3. Cor habet in ventre gulosus, lascivus in libidine, cupidus in lucris. *Hier. super illud Matth. 5. Ubi thesaurus tuus etc.*

4. Omnipotens Deus humanum cor destruit, quum relinquit: ædificat, quum replet: neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo, quia ad perditionem suam sufficit sibi dimissa. *Greg. in moral.*

5. Quid est cor durum? ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate molliitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum est ad beneficia, infidum ad consilia, sævum ad judicia, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, preteritorum obliviscens, præsentium negligens, futura non providens: ipsum est, cui præteritorum, præter solas injurias, nihil omnino non præterit: futurorum nulla, nisi forte ad ulciscendum, prospectio est. *Bern. 5. de consideratione.*

6. Elatum cor, durum et expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritualis. *Bern. in serm. ibid.*

7. Non discordet cor tuum à facie tua: non habeas faciem sursum, et cor deorsum. *Bern. super Cant. ibid.*

8. Apud homines cor ex verbis, apud Deum verò verba pensantur ex corde. *Ibidem.*

9. Semper in robusto et vegelo corpore animus mollior jacet, atque tepidum cor, et rursus in corpore debili et infirmo fortior viget, promptiorque spiritus. *Bern. in apolog.*

10. Puritas cordis in duobus consistit: in quærenda gloria Dei, et utilitate proximi. *Ibidem.*

11. An non confunderis sursum caput habere, qui sursum cor non habes: corpore rectus stare, qui corde repis terram. *Bern. in serm.*

12. * Cor in quatuor affectibus est, quid diligas, quid

metuas, unde gaudeas, seu contristeris. *Bern. de jejun. serm. 2.*

13. In omni namque creatura, quæ sub sole vanitatibus mundanis occupatur, nihil humano corde sublimius, nihil nobilius, nihilque Deo similis reperitur: quapropter nihil aliud quærit à te, nisi cor tuum. *Hugo lib. 1. de anim.*

14. Plura machinatur cor meum uno momento, quam omnes homines perficere possent uno anno. *Hugo ibid.*

15. Solus regnat, qui deposito cordis imperio, legibus rationis ordinat totam familiam motuum interiorum et exteriorum. Si consurgat leonina rabies, punitur per patientiam: si petulantia hirci, per abstinentiam: si ferocitas apri, per mansuetudinem: si superbia unicornis, per humilitatem. Non invenitur autem inter cæteras artes liberales, ars ista præ aliis liberalis, qua tenetur cor, quod omni mobili mobilius est, quod omni lubrico lubricosius est. *Hugo lib. 3. de anim.*

16. Cor parvum est, et magna cupit: vix ad unius milui refectionem sufficere posset, et totus mundus ei non sufficit. *Ibidem.*

17. Vis scire de fratre tuo quale cor habeat? attende unde libentius et frequentius loquatur. Ex abundantia enim cordis os loquitur. *Cass. super illud Psal. Egrediebatur foras.*

Vide etiam in tit. Charitas, núm. 16. in tit. Conversatio, núm. 13. in tit. Delicta, núm. 8. in tit. Devotio, núm. 1. in tit. Ornatus, núm. 20. in tit. Relinquere, núm. 16. in tit. Voluntas, núm. 5.

CORRECTIO.

1. Correctio est errorem innatum vel consuetudine factum fræno rationis inhibere. *Aug. de diffc.*

2. Nihil probat spiritualem virum, sicut peccati alieni tractatio: quum liberationem ejus potius, quam insultationem, potiusque auxilia, quam convitia me-